ORATIO ALEXANDRI DONATI

E SOCIETATE IESV

HABITA XV. KAL. IAN. M.DCIX.

IN FVNERE ILL.^{mæ} ET EXC.^{mæ}

MARIAE CAESIAE AB ALTAEMPS

IN S. APOLLINARIS Collegij Germanici, & Ungarici Sacra æde.



ROMAE,

Apud Stephanum Paulinum. M.DCX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur R. P. M. Sac. Pal. Ap.
Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur, Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Magister, & Reuerendissimi P. Fr. Ludouici Ystella sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ordinis Prædicatorum.

ORATIO.



EC vero vocem expectatis, Cardd. Amplifs. Princip. Excell. quę Io. Angeli Altaempsij in acerbo Mariæ vxoris funere dolorē leuet, aut Parentū lacrymas clarissimæ filiæ desiderio profusas ac pænè consumptas intercludat: sed quæ in summo mœrore, & grauissimi casus recordatione, si minus defunctæ laudes assequi & cōplecti vniuersas, debitas certe hodierno funeri, & communes omnium querelas interruptis fletibus deplorare possit. Multū enim abstulit immatura mors, quæ in hoc suo mortalitatis regno etsi nostris corporibus cōtumeliose, & crudeliter illudit; durior tamen ac tristior videri voluit, cûm rapta ex humanis Maria, eadem ruina recentem adolescentulæ ætatem, nobilissimum genus, incorruptos mores fregit & obruit: & familiam in Romana Ciuitate florentissimam, pari coniugum religione celebratam, subita calamitate perculsam iacentemq. deformauit. Itaq; extincta vnius vita, non spem modo adultæ iuuentutis, non materiam crescentis gloriæ intempestiuè præreptam lamentamur: sed corroboratam exiguo annorum interuallo perfectamq; virtutem concidisse, quā totius vrbis ordines infimi æque ac summi prædicarant, quam incredibili fama integritatis & innocentiæ suspexerant, quam viderant illustribus feminis exemplo esse in præsentia, posteris futuram sæculorum ætatibus admirationi. Hæc adeo sunt, quibus concitata multitudo templi aditus, & hunc locum non tam funestis vndecumq; facibus, quam clarissima Mariæ memoria illustrem obsedit: prodijt è domestico fletu nobilium matronarum squalor ac luctus, quæ

 ciuem

ciuem ereptam in lugubri exequiarum apparatu,in ipsis prope sepulchrorum tenebris requirunt. Ego verò quod alijs dicendi esse solet, illud video mihi periculi materiã fore. Nam vt ipse vehementissime commoueor, cùm omnia in mentem veniunt, quæ Maria Cæsia institutis tum optimæ grauissim æq; matris Olympiæ Vrsinæ, & auiæ ornatissimæ Beatricis Caetanæ tum ad Altempsiam familiam inuiolabili traducta sacramento piè, sanctèq; molita est: ita vereor, ne auditores, quorum animos illa ipsa peruagata omnium sermonibus occupauerant, nec deploratam pro acerbitate mortem, nec pro dignitate laudatam vitæ innocentiam arbitrentur. Quod si in multorum aures nimis attentas ac religiosas incidimus, profecto vel ex nostra sententia iudicabunt, ornatissimo funeri, quale amplissimi coniugis aut amor aut dolor excogitare & comparare potuit, præclaris defunctæ laudibus tantummodo laudatorem defuisse. Sed habeo eximium in primis tutorem ac patronum magni nominis virum Nazianzenum, cuius grauissima vox est: funebrem de Gorgonia sorore orationem (magnificam illam quidem, & ab eloquentissimo oratore institutam) incultam atq; inornatam debuisse proferri; quod quæ laudaretur muliebres præ ceteris munditias & inanem corporis cultum ornatumque neglexisset. Par est de Mariæ laudibus argumentum; cui fortunæ, corporisq; dona non tam large natura dedit: quam ipsa, præ animi pulchritudine seriò despexit. Igitur ad rem venio; neq; vt arbitror, prouinciarũ ac bellorum administrationes à femina desiderantur, quæ multorum aures solum feriunt in dicendo, at cum de feminis dicuntur, poëticæ magis fabulæ, quam Historicæ veritati, aut fidei oratoriæ videntur accomodata: sed contendo Ma-

riæ virtutem cum rerum diuinarum ſtudio ac religione coniunctam, eamdemq; ipſi laborioſam, fructuoſam alijs extitiſſe. Itaque primam orationis partem religioni ac pietati tribuam: altera ſingularem in ſumma rerum affluentia moderationem vſumq; complectar; in quibus abſoluta laus à dicendi magiſtris collocata eſt. Et primum quidem de religione caput à laudabili virtute vſque adeò ſeparari non poteſt, vt nullus vitæ modus & actio futura ſit, quam non pietas ſuis legibus tamquam domina moderetur. Atq; vt ex ea deducatur oratio, num ab vltimo vitæ actu exordiar, ac præclaro illo teſtimonio pietatis; cum extremo ſpiritu animum fabricatori Deo: corpus, quod magnæ Virginis obſequio antea manciparat, eidem in Lauretana Cella collocandum legauit? an oportet primos ætatis annos Deo ac pudori conſecratos exponere? Audio enim ex Platonis diſciplina permultos de pueritia nihil ſublime nihil ſanctum cogitare. Eſt huius ætatis, inquit ille, incertus euentus, neq; ſatis conſtat quam in partem propenſa feratur natura, quam occulto ſenſu nondum diſtrahit aut illecebra voluptatis aut cognitio virtutis. Dubia hominum conſilia, varia mens, mobile ingenium. quid puellarũ? quas ſua met conditio, & numquam intermiſſa leuiſſimarum curarum aura commutat, atq; ab animi cultu ad bullatas auocat nugas, & inanes riſus. Quid religioni commune niſi graue ac ſanctum? quid puellis niſi vanum ac leue? quibus, ſi capillum ſi veſtem excipias, earum aut probatum nihil. Hæc acutè quidem diſputant, qui humana omnia ſuis examinata ponderibus neſcio in qua doctrinæ trutina nimis accuratè ſuſpendunt. An vero ex parentum nobilitate, claritudine, virtute nihil hereditario iure deriuatur ad liberos? nihil ex pa-

ter-

terno maternoq; ſanguine, quo etiam belluas cicures aut feras habemus, heres paterni nominis, honoris, gloriæ poteſt haurire? Et ſane Atticis ciuibus in acie cadentibus ingeneratam virtutem à maioribus, patriæ ac prouinciæ natura conſpirante, affirmauit Plato: idq: omnibus commune eſſe voluit, ſiquidem patria non extrinſecus venientes tamquam nouerca recipiat, ſed ex ſeſe productos alat mater & nutriat. Sed hoc nimis remotum in laudationem quadrat: habeo ſatis magnificum aliunde argumentum, habeo Federici, & Olympię Excellentiſſimorum parentũ: patrui Bartholomæi Illuſtriſ. Cardinalis: fratris Federici Marchionis, aliorumq; pietatem & gloriam, ex vltima antiquitate Romanos Cæſios. Etenim ea familia ex Federico fratre Silueſtri eius nominis Secundi, Pontificis Maximi profecta, potens oppidorum atq; vrbium principatu: chlamydata Ducum imperijs: ampliſſimis honoribus, Pontificijſq; muneribus exornata: ſacra animarum cuſtodia, Romanæ purpuræ ſplendore, adminiſtratione prouinciarum, Flaminiæ, Vmbriæ, Bononiæ magiſtratibus illuſtris, ad inueteratam gentis gloriam immortale ſtudium tuendæ religionis adiunxit. Reſpicite in vrbis amplitudine Cæſiæ Pietatis munificentiam: templa, ſacella, aras, monumenta, ornamenta ſacrorum ac domicilia: ædes ſacris familijs conſtitutas, laxatas domos, erogatas pecunias, magnis ſumptibus frumentaria largitione leuatam egeſtatem: etiam extra vrbem effuſa liberalitate, Narniæ, Tuderti, Aquæſpartæ, in oppidis, in ſolitudine inſtaurata erecta templa: extructa & annuis fructibus copioſe donata ſacrarum Virginum virorumq; Cœnobia. Vt mirum nõ ſit maiorum pietatem tantis vbiq; monimentis priuatim ac publice teſtatam in vnius Marię animũ

pari

pari contentione propagandam confluxisse. Itaq; in primo annorum cursu ac prælusione vitæ, insitos genti mores, maiore vtiq; spe fecunditatis è puella prodire intuebantur omnes; vt facile intelligerent, quid posset

Mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus.

Et vero in illa ætatula cùm veterum memoria & imagines adhortabâtur, tum Olympiæ Matris, & Auię consuetudo, proposita sanctitas matronarum, æmulam gentilitiæ virtutis in muliebri gloria esse admonebat. Beatrix enim ac plane beata fœmina, in quā Berecinthiæ fortunā, deorū partu ac cælesti nepotū posteritate insignē multo verius transferre possem: in tanto Dynastarum, & Cardinalium numero, quos aut affinitatis coniunctione, aut parentum amplitudine vidisset, aut familiæ in quam ex nobilissimo genere nupserat, ex se productos dedisset: in tanto honore, tanta diuitiarum copia, vnam dumtaxat complexa pietatem, eius laude flexus ætatis omnes, & confecta humanę vitę longissima spatia consecrauit. Sed Olympiam quantum Vrsina ac Cæsia dignitas extulit: tantum ipsa, maiorum laude virtutum vtriusque generis ornamenta cumulauit. Quid putatis puellam tam bonis artibus instructam arripuisse? quantum porrò præsidij ad Naturæ habitum moderatum & grauem, industrię ad ingenium, decoris ad pudorem, ad animum deniq; quàm eximiam & illustrem accessisse rationem conformationemque viuendi? Alexandrum nemo nisi Apelles coloribus in tabula, aut ex ære Lysippus referre potuit. Inditum est hoc magnis viris, vt aptā compositionem conformationemq; corporis, cuius dignitate ceteros vincunt, solum effingi velint opificum

artifi-

artificio & industria optimorum. Sed animi pulchritudo haud facile depingitur aduentitia manu. Speciem leporemq; conspirantium inter se virtutum: Beatricis, Parentum integritatem Maria vel perfectius expressit imitando, vel adiuncta morum venustate ac splendore, miro artificio suauius colorauit. Vix dum soluto ore perpauca balbutire cœperat, cùm animus ad diuina sublatus primis voculis identidem sacra cælitum mysteria permiscebat. Domestici commemorant, cùm prima litterarum rudimenta addisceret, numquam è cōclaui pedem referre solitam, nisi præceptorem ad propitiandam minoribus litanijs Virginem inuitasset, suo exemplo grandem ætate virum triennis puella ad sacros cantus & symphonias prope nolentem pertraxisset. Neq; enim tanti nominis hereditatem sibi Maria sine legitimo virginis patrocinio vendicarat; quin potius illi studiosam se obtulit virtutum imitatricem, cuius nomen singulari beneficio referebat. Itaque mirum non est, si quantum feminæ ad vultus stybio vnguentoq; decolorandos, ad crispandos comendosq; capillorum cincinnos, ad speculi voluptatem, ad intempestiuos sermones: tantum Maria ad preces inflammato animo recolendas, pudoremq; firmissimis cælitum præsidijs obuallandum consumpserit. Quos ego hic testes adhibere possem? quanta auctoritate? quanta fide? qui etiam adsunt, qui dicerent diurno puellæ operi vicario munere successisse nocturnas ad precandum excubias: illam cum ceteros facilitate atq; humanitate superasset, cùm ad nutus imperantium, nedum verba se totam finxisset, iterum ad conciliãdum sibi Numen promptè alacriterque confugisse; neq; in cursu instituto longius prouectam adolescentulam fuisse aliquando aequalium consuetu-

ſuetudine, non vrbis cognitione, non amœnitatum voluptate non tædio laboris, non deſiderio quietis, non communi nuptiarum cupiditate retardatam. At enim priuata hæc ſunt munia puellarum, quę tamquam in arce pudicitiæ continentur domi,& hominum conuentus lucemq; publicam perhorreſcunt. Quod etiam neſcioquo Vrſarũ ſimulacro Athenæ diſciplinarum magiſtræ ſignificarunt; vt, quemadmodum illæ è ſuis numquam latebris niſi ad paſtum egrediuntur:ita Virgines tantùm ad arcana ſacrorum myſteria, ideſt ad paſtum animarũ, è priuata domorum cuſtodia educantur. Ego verò non hæc de Maria prædico, perinde ac ſine viro totum in religione negocium habuerit, nec maiores in illa progreſſus fecerit cum viro. Nam vt ad hunc locum veniam, tibi ſane Altaempſi moleſtum,& grauem, atq: vt mecum calamitatem recognoſcas & ærumnas tuas,non quò acerbitas doloris recentis boni recordatione recrudeſcat: ſed ne vxoris laudem, quam tu profuſiſſima largitione ac funebri triumpho magnopere auxiſti, videar imminuere reticendo. Splendidum tibi munus diuinitus cõparatum animaduerteras, ſi Mariam Cæſiam optatis nuptiis Altaempſiæ dignitati adiunxiſſes. famam audieras, probitatem videras, ingenium ad mores tuos natum cognoueras. Statueras eiuſmodi puellam è domeſtica diſciplina nõ ad aulicos tumultus,ſed ad rerum curam diuinarum traducendam. Itaq; poſthabito maiorum ſtudio, qui regio ſumptu magnificas ſubſtructiones erexerant, inaudita munificentia ſibi poſteriſq: villarum & hortorum amœnitates comparauerant: domũ feciſti receptaculum bonorum, ſacrorum domicilium. In ea ſacellum marmore, pictura conueſtitum, amplo pretioſæ veſtis, argenti, auri, gemmæq; inſtrumento,

Sacerdotum frequenti cœtu, sacrisq; cæremoniis instruxisti, vt ædem augustissimam subire viderentur qui venissent in eam domum, vbi interdiu noctuq; votis Deo persolutis omnia cantu, musicisque concentibus personarent. Illo nimirum Epithalamio Maria digna fuerat, illud tu Carmen in tanta nuptiarum lætitia reposcebas, quod potissimũ religioni diceretur. At ex iis quę vitæ sanctimonia, quæ morum integritas consequuta est? felix erat familia vxoris fecunditate, tua dignitate, vtriusq; virtute. In ore, in oculis ciuitatis tam laudabilis vitæ coniunctio, tam familiare ingenium, tam prosperæ fortunæ cursus versabatur. Nihil tu imperasses, nihil concupisses, nihil cogitasses, quod non coniugis vigilantia, obsequio, voluntaria quadam & libera seruitute actum perfectumq; ante oculos extitisset. Domi officiosa, foris pia & grauis, multa in preces nimis flexerat animum & sensus tuos. O fragilem mortalium spem, miseramque fortunam. Ex tanto felicitatis fastigio deturbatum Mariæ morte vix te viuum habemus. Spem liberorum, familiæ lætitiam, tui gloriam miserè ereptam idem abstulit dies, qui vxori abstulit vitam, vt integra iuuentute, quæ ad omnia incrementum facit, sane acerba celeritate ad immortalitatem faceret incrementum. Sed ego repente ad extrema sum prolapsus, reflecto iterum orationem, & ad vitæ consuetudinem redeo. Stabilita lege mane duas horas Deo quotidie consecrauerat: tantumdem vesperi. Mitto Sacerdotum preces nulla priuatim obligatione quotidie recitatas à femina: decantatas cælitum Dominæ laudes suas: solemni supplicatione mortuorum animas expiatas: mitto Psalterium totum sæpissime magna animi contentione decursum; qua in re ita neruos omnes pietatis intende-

tende-

tenderat, vt in singulos Carminum exitus, flexis genibus humum prona oscularetur: & si forte obrepentibus cogitationibus euagata mens paulum aberrasset, statim iniecta religione, omnia cogeretur ab initio redordiri. Consulatur Virgines voluntaria deuotione ab hominum consuetudine domorum cancellis interclusæ; num in eius vitæ tranquillitate tantum sibi temporis ad preces obeundas, tantum otii relinquant, vt cum nuptæ opera grauissimis curis, vrbanisq. muneribus implicatæ cõferre possim? Quod si idem faciunt, vt possunt ac debent; nonne ijs magnum ad omnem vitam præsidium, magnum ornamentum est: ex quotidiano labore ac molestia, tam longo spatio, in aspectu amplexuq; Numinis patefacto sibi ad diuinitatem aditu conquiescere? vt tãto præstantiorem Mariæ virtutẽ fuisse conijcias, cui talis otium vitæ in domestico negocio relictum est. Quid si dicam malorum inuitamenta illi facultatem dedisse augendæ Pietatis? Comœdiæ nomen reformidabat in primis; quod hoc festiuum poësis inuentum ad tristitiã seueritatemque mitigandam, à proprio iocandi genere vrbano, faceto, eleganti, miseret ad petulantiam flagitium scriptorum, actorumq. licentia detorqueatur: qui turpiter magis, quam comicè dicere, nec tam vulgi aures ridiculo inconditoq: verborum lenocinio demulcere, quam liberalium animos mimica procacitate conantur offendere. Huiusmodi fabulis, cæteroquin ingenua nobilium corona dignis, cum aliquando interesse inuita cogeretur, quod sciret altius menti insidere, quæ visu deprehenduntur, ne apta veritatis imitatio histrionis voce, vultu, gestuq: animum læderet; coniectis verecundè in terram oculis, pium aliquid suspensa cogitatione reuoluebat. Sed videte matronæ ingenium:

Quaſi concepta ex ſpectaculo labes animum deformaſſet, quaſi leuiſſima criminis macula foret ingenti fletu, & imbre lacrymarum eluenda: rediens à ſcena ſe dabat in preces, atq: abſumptum futili negocio temporis ſpatium acerrimo ſenſu doloris, prorogatis tantumdem precibus deplorabat. Quid plura perquiro argumenta Pietatis? hoc vno admirabilius aut ſublimius proferri nil poteſt. Tenuiſſima conſcientiæ ſuſpicione ſoluebat vota, fundebat voces ac gemitus, neq: vllius errati expiationem, quod nullum ſuſceperat, Maria impetrabat. Culpam veriùs aliorum illa precibus expiauit, quos fabulæ potiſſimum licentia delectat, neq: in ſcena, vt ſæpe actores fallente veſtigio, ſed aſſidentes in orcheſtra, ſcelere ad ſpectaculum obligati, turpius corruunt. Quid, cum eodem animi ardore dies feſtos, alijs per otiũ agentibus, in vltimis ædium anguſtijs cæleſtium rerum commentatione, ſolitaria celebraret? quid, cum inter ſacras lectiones, quibus mirifice delectabatur, effuſa ſpiritus dulcedine, libellum magna lacrymarum copia perfunderet? quid, cum flagella, & cilicinas veſtes corpori admoueret, eademq: domi repoſita, clam cuſtodita obſeruaret diligenter, tãquam inſtrumentum voluptatis ac theſauros ſuos? Sed hoc ad alteram partem ſpectat orationis meæ, qua Mariæ virtutem ſibi laborioſam, fructuoſam alijs propoſueram fuiſſe. Hoc vero quam rarum inter homines, atq: adeo vix humanum eſt, Auditores, vt omnia quis ſuo labore, aliorum vtilitate metiatur: & ſimul animum media virtutis via gradientem nec procul à diuino cultu curarum æſtus abripiat, neq: priuatis occupationibus abſorbeant domeſtica munera longe ab honeſtate fluctuantem. Sed nihil magis abhorret à moribus, & conſuetudine nuptarum, quas de luxu

plerum

plerumquæ ſollicitas ſcimus vix aliquid ſāctum & graue, vanum certe & inutile, & neſcio quam formæ gloriam ipſo ſæpius calamiſtro imminutam cogitare. Madere vnguentis, ceruſſa fluere, ſuſpendere in fronte faſtigiatum capillamentum, ſericis auratiſq; veſtibus interlucere credas in partem muliebris eſſe felicitatis. Ita diuiſa mens (quod auguſtiſſimo oraculo Paulus edidit) nec totis, vti par eſt, viribus in Deum ferri, neque omni ex parte ſuperis placere; aut aliorum bonis conſulere ac prouidere poteſt. Quid hic de Maria loquar? cui propoſita ante oculos ceterorum ſalus ſuo incommodo ac labore quærebatur. per luxum credo agebat vitam, quæ parco ac parabili victu, atq; adeo frequenti ieiunio naturæ deſiderium explere cōſueuit: neceſſaria ad viuēdum cibaria vel à primis annis in circumeuntes pauperes erogauit: cultum omnem, fluxamque formæ gloriā ſupra muliebrem modum, generoſa quadam animi ſublimitate neglexit. fucos, pigmenta, odores, & vnguentariam huiuſcemodi luxus materiam illicò expirantem ne aſpexit quidem. neq; enim alienam voluptatem tanti æſtimauit, vt ipſa tranſeunte homines aliud agentes odor inuitaret, ſuperos cum quodā vtique faſtidio auerteret. Placuit illi rubor pudore ſuffuſus, candor ex inedia comparatus. Videbat quippe ad hæc animi ornamenta & inſignia nequaquam ſpeculo opus eſſe, quod inaudito apud feminas miraculo ſemper auerſata eſt. Narrant facinus auditu periucundum, ad propoſiti fidem clarum in primis ac luculentum. Cum illuſtribus matronis, & Olympia matre Maria curru vehebatur per vrbem magno ancillarum puerorumq; comitatu. Cumque incidiſſet, vt fit, de venuſtate ſermo, pari omnes approbatione primas illi ſine controuerſia de-

ferebant. Tum Mater, vos vero, inquit, quæcumque Maria sit iudicare potestis: haud facile illa de se sententiam feret, quę obiecto speculo faciem nec vidit vmquã, nec videre voluit. quas primo voces cum aliarum admiratio excepisset; ex ijs vna, quæ speculum è cingulo appensum gerebat: At non effugies inquit, quin semel arbitrio meo tui speciem intuearis in speculo. Negauit facturam Maria, quod numquam fecisset. Ita adhortantibus ceteris, vna etiam connitente, certamen illud illustri contemptione muliebris gloriæ, nobili contemptricis victoria diremptum est. ò Semirames Thelessilides, Penthesileæ, quæ naturæ condicione ad armorũ vsum ineptas manus bellorum ac præliorum sanguine perfudistis; & vos romana femina tanto post temporum interuallo præclarissimi facti gloria superauit: quæ etsi virorum more ad bella fortiter gerenda valuistis, at vestras cupiditates, ac libidines numquam refrenastis. O Paulæ, Monicæ, Gorgoniæ, quæ laudum vestrarum præcones Hieronymum, Augustinum, Gregorium, viros sanctitate ac sapientia cumulatissimos inuenistis; aliquid recenti memoria factum videtis, quod ab illustri numquam femina, à nupta adolescentula excogitatum nulla veterum memoria celebrauit: quod (vt timide dicam) cum vestris aliquo modo conferendum, talibus certe scriptoribus dignum videtur, si tales nostra temporum memoria produxisset. Quid enim magis notione Naturæ insitum hominibus impressumque est, quam vt suamet bona extrinsecus posita recognoscant, & aspectu habituq; corporis, qui latentis animi sermo est, iucunda cum voluptate perfruantur? Ad amnium liquores, ad lucidos fontium lapsus, ad maria accurrunt, vt fluitantem in aquis, sine succo sanguinis sine colore innatantẽ

figu-

figuram ac ſpeciem contemplentur, & Socrati ſpeculū præcipienti ſaltem capitonis & arimaſpi Gigantis exēplo reſpondeant.

Certè ego me noui, liquidaq; in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitq; mihi mea forma videnti.

Quod ſi ad vultus lineamenta accedat apta partium compoſitio, ſi venuſtas, ſi dignitas; dubitandum erit, quin hæc corporis & naturæ bona, in quibus veneratio, & locuples laudandi facultas ineſt, aliquando homines intueantur? Quis igitur in Maria ſenſus, quæ conſtantia impotentem huiuſmodi cupiditatē perpetuò refrenauit? quæ virtus naturæ vim fregit? impetum extinxit? leges abrogauit? cum præſertim ad eius vitæ ornamenta connubium adiungeretur, iuuentus ad ætatem, ad leporem grauitas, ad pulchritudinem maieſtas, nihil deniq: huic vni deeſſet, quo romanas feminas nobiliſſima matrona æquare poſſet aut vincere. Nimirum ſpeciem animi pulchriorem non regeſtam fragilis laminæ repercuſſione, ſed effundentis ſe Numinis luce contemplabatur: & ſi ſpeculum adamaſſet, quid præter immortalem animum adamare potuit, in quo ſuam ipſius imaginem ſimilibus inductam notis intueretur Deus? vt ipſa & ſpeculum Deo eſſet, & viciſſim in Deo ſe quaſi hauſtam ex infinita diuinitate particulā ſpecularetur. Atqui paruo contenta quæ tam parcè, tamquè reſtrictè ſecum ageret, quam benefica in externos, quam effuſa in domeſticos ac ſalutaris extitit? Et ſeruos quidem opinione ſapientum nouerat conſeruos eſſe liberorum; quod æquè in omnibus rerum viciſſitudo dominatur, neq: vllus inferiori fortuna, in quam tranſire ceteri poſſunt, ad contemptum deprimitur. Eos igitur non verbo, non vultu

læſiſ-

læsisset, maledicos amandasset; mores ac sermones detestata fallacium hominum ad aliorum exitium ac labẽ, ad perniciosam voluptatem omnia loquentium, nihil ad veritatem. An vero quisquam tam impudens, tam perditus esse potuit, qui in eius oculis alium quempiam criminis auderet insimulare, aut in famam petulanter inuadere? Quam multos arbitramini qui grauem sibi ac periculosam domini offensionem concitarant, eadem deprecante in gratiam ac beneuolentiam restitutos? alijs pecuniæ in iudicio damnatis, quam numerate non poterant, copiose magnam vim auri subministraram: alios ample lauteq; Mariæ largitionibus conseruatos: virum non blanditijs ac muneribus, at infimis officijs & obsequio delinitum: ita deniq; eodem tenore virtutis gubernata omnia, vt domi vox nulla impura, vehemens, atrox, nulla facinorum vestigia, nulla suspicio sceleris: foris plena omnia Mariæ laudibus, plena exemplis, comitate, munificentia. Equidem inuolui hæc potius, quam explicaui. sed maturandum fuit, quod Maria nimis immaturè præcurrit ad mortem. Ita fit, vt, quemadmodum plantæ modicis aluntur aquis, nimijs suffocantur: sic animus magnis laboribus in medio rerum cursu deficiat, atq; oppressus ipse se deserat aliquando. Instituerat Maria quidquid ageret, vbicumq; esset, neq; se à diuinis abducere, neq; grauissimis curis iusta honestaq; voluptatis lætitia relaxare. Itaq; etiam in amœnitate Tusculana, concamerata è frõdibus, ac virgultis virenti casula, statis horis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in aduerso colle, ipsoq; D. Gregorij templo collocatum è solitudine venerabatur. Cæli, ac rei insolentiam noua ægritudo consequuta est; gaudente Maria, morbi, & si res ferret, mortis causam ex vitæ au-

ctore

ctore promanasse. Igitur in vrbem reuersa accurrentibus cognatis, perturbata familia, suspensa rei euentu Ciuitate, non setoso horridoq: vestitu pristino more in lecto decubuit, sed vrgente vi interioris mali aut horrebat vehementissimè, aut inflammati æstus longissima periodo torquebatur. Hic nulli ab ipsa gemitus, nulla querimonia, nulla suspiria. Vna erat spes, si conceptum à septimo mense fetum enixa ante Infanti vitam ac lucem daret, quam ipsa amitteret. Atqui paulo post partus editus animi ægritudinem soluit, nam Baptismo expiatus, atq; in Cælum præmissus matri mox iter facturæ nouum tamquam sydus præluxit. Neque inusitatum erat, vt nouo liberum aspectu, quos exanimatos antea crediderant, præ lætitia exanimarentur matres. Itaque Maria, quæ filium vita donatum ad immortalitatem transmiserat, cur minimo interuallo hæsitantem adhuc mortem remoraretur? Adstabant ingenti sollicitudine ac luctu parentes, viri lacrymis perfundebatur, augebãtur familiarium gemitus, omnesq: vigorem illum iuuentutis, illam spem ætatis, indolem illam verè Romanã ac Cæsiam defloruisse querebantur. Nemo Mariam aspexit, qui lacrymas teneret: qui luctum non tolleret, cum videret semimortuæ vultum pallore suffusum, liuentes oculos, cauatam frontem, spiritum ægro anhelitu interceptum, membra vitali sanguine sensuq: destituta propinquæ morti gelidum atq: informe receptaculum destinasse. Aderant filioli eiulantes, quos paulisper alleuans oculos moriens mater consolabatur, ac viro in extrema significatione voluntatis penè pereunti, intermortuis vocibus commendabat. En mei memoriam, obsides amoris, pignora beneuolentiæ. Habes apud te, quo Mariam vel mortuam recorderis, habeo ipsa, quo

de Cæ-

de Cælo, vt pie præsagit animus, adsim delicijs meis, filijs tuis. Amorem defunctæ coniugis iam transferre potes ad liberos, vt sentiant plus quam patris esse amorem tuũ, quo ad pietatem erudiuntur, ad virtutem adolescunt. Quas hic lacrimas renouata omnium lamentatio excussit? cum tamen animus desiderio diuinitatis, immortali corona insignis, vti sperare iure possumus, properaret in Cælum. ò miseros Matris amplexus, inter quos repente filia exanimata est. ò coniugis infelices manus, quæ suprema testificatione beneuolentiæ, defunctæ oculos clausistis. Abijt quidem Maria, & magna hominum acclamatione peracto cursu mortalitatis grauissimam doloris acerbitatem Cæsio sanguini legasse visa est. Neque enim non filiæ parentes, fratres sororis, vir coniugis suæ meminisse, nec sine lacrymis recordatio esse potest. Ipsa hæc lugubris pompa, & luctuosa laudatio nonnè ad augendum magis, quam leuandum acriori remedio dolorẽ instauratur? nisi aliquod solatium est, Mariæ memoriam magnificentissima funebrium ceremonia, publica lamentatione Ciuitatis, qualicumq; oratoris commemoratione reuixisse. Sed num quod naturæ condicione cum ceteris illi commune fuit, deplorandum est? non lætandum magis, quod ceteros singulari fortunæ; animique præstantia superauit? Neque enim parentes immortalem filiam voluerunt esse, sed inter mortales illustrem; neque olim in lucem editæ natalitijs votis perpetuum vitæ fructum, sed nominis & famæ precabantur. Iam vero quid altius videre potuit in honore Cæsio, in Altaempsia dignitate, in gloria virtutis, quò productis vitæ spatijs posset ascendere? Paternum genus sui nominis laude honestauerat: nupserat in amplissimam domum: liberos dederat: familiam ad omnem integritatem composuerat

exem-

exemplis instruxerat, pietate adornarat: semper sibi cõstans, in ore ac sermone omnium, parum naturæ vixerat, multum gloriæ suæ. Quis enim exitus vitæ longo annorum interuallo ad vltimum vsq; senium prorogatus, plus admirationis fuisset habiturus, quam in hoc intempestiuè Maria consequuta est, illustri ac peruagata magnorum vel in suos, vel in alios fama meritorum? Vt immatura mors non abstulisse bona videatur, sed mala in posterum prohibuisse. Non vidit suorum luctus, non squalorem familiæ, non propinquorum interitus, quæ humanæ vitæ inflicta quotidie vulnera lamentamur, nec tamen viuendi modum nostris circumsepti miserijs & calamitatibus inuenimus. Quod si ex illius desiderio tantum parentibus, tantum viro laborandum fuit, næ illud, dum viueret, copiosè leniuit; quæ vt numquam depingi voluit artificis manu: ita in filijs, hoc est viuenti spirantiq: parentum imagine, matrem reliquit. Illi mœrorem omnium non verbis, non oratione in hac ætatula, sed aspectu consolabuntur; in quo matrem, vt semper mortuam intueantur, miro artificio natura expressit: ijdem procedente ætate, vbi se adolescere ad gloriam animaduerterint, manifestò declarabunt quantum indolis, quantum ingenij, quantum virtutis hauserint ex Maria, cuius memoria temporum diuturnitate, qua cetera omnia contabescunt, in Cæsia, atque Altaempsia amplitudine clarior, & illustrior futura sit.

L A V S D E O.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EM.